

tur. Ergo & *νοικωνία* corporis Christi, quæ (Apostolo teste) cum pane exhibetur, non tanto intervallo à nobis aberit: sed præsentissima nobis cum pane exhibebitur.

72. VI. Idem confirmat laudabilis Orthodoxorum Patrum chorus: id quod patet ex ijs testimoniis, quæ partim supra citavimus: partim in Refutatione consensu Calvinistici magno numero, & fide optima collecta reperiuntur.

73. Et hoc est, quod confessio nostra corpus & sanguinem Christi VERE adesse confitetur: Cui particule equipollent & aliæ, quarum in disputationibus contra Sacramentarios magnus est usus: ut quod corpus & sanguis Christi, substantialiter, naturaliter adesse perhibentur.

74. Opponuntur enim Adverbiales istæ dictiones, Sacramentariorum strophis, quæ vix alias felicius & facilius ex latebris protrahi & in apri-cum solem constitui possunt.

75. Neque verò nos duntaxat his utimur: sed & Orthodoxa Antiquitas illis vel maximè est usa, quoties docuit, Christum non tantum habitare in nobis per fidem, & Spiritu suo efficacem esse: verum etiam uniri nobis CORPORALITER, NATURALITER, PARTICIPATIONE NATURALI: uti cum primis videre est apud Cyrillum, lib. 10. in Ioh. cap. 13. & lib. 11. cap. 27.